



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Responsa Moralia In Causis Justitiæ Commutativæ De Restitutione & Contractibus

Heislinger, Anton

Ingolstadij, 1726

Casus XXXIX. De rei judicatæ valore.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40194

penso pro re coempta proportionatum. Secundo: si ponamus casum, quod præter annum tributum correspondens pretio rei emptæ adhuc aliquod tributum ex hoc ipso prædio solvendum sit: iudicamus, hoc, de quo quæritur, tributum non habere veram rationem alicujus tributi, sed cujusdam annui canonis, ac pensionis, quæ ob concessum primis cultoribus prædium in recognitionem fuerat imposita, uti in feudo, & emphyteusi factum fuisse cernimus. Quod vel maximè verosimile videtur, si Dominus territorialis, aut Hofmarchiæ cui hæc controversa pensio annuatim est solvenda, sit quidam Dynasta, Monasterium, & alius principe supremo illius Provinciæ (cui alia adhuc tributa ex tali prædio sunt præstanda) inferior.

C A S U S XXXIX.

De rei iudicatæ valore.

Sempronius, postquam eidem prædium, de cujus proprietate cum Cajo litigaverat, à iudice adjudicatum fuisset, ac sententia in rem iudicam jam transisset, reperit aliquod instrumentum, vi cuius clarè intelligit, adjudicatum sibi prædium omni jure ad priorem possessorem Cajum pertinere. Hinc.

Q. Utrum hoc à iudice sibi adjudicatum prædium in conscientia retinere possit?

SYNOPSIS.

1. **Q**uid sit sententiam in rem iudicam transisse declaratur.
2. In foro externo tali sententiæ est acquiescendum.
3. Quia talis sententia accipitur pro veritate.
4. Si mala fide litigaverit Sempronius, in conscientia nequaquam tutus erit.
5. Contrariam tamen dicendum, si bona fide.
6. Solvitur argumentum ex cap. sig. nificationibus 2. de purgat: vulgari: petitum.
7. Solvitur obiectio ex lege si fullo: de conditione sine causa.
8. Item ex lege in commodato 17. ff. commodati.
9. Sola sententia iudicis non potest transferre dominium in alterum, bene autem accedente supremi legislatoris consensu.
10. Non datur paritas inter nostrum casum, & inter ledentem alios in

Zzz

com-

- contractu ex metu levi extorto.
11. Aut cum obligato ex mero nudo pacto.
12. Sempronius nequaquam locupletaretur cum alterius iniusto damno.
13. Sententia iudicis fundatur quidem in presumptione iustitie, non tamen ipsa auctoritas, & firmitas sententie.
14. Sententia nostra malis hominibus non prebet ansam iniuste litigandi.

15. Potestque componi cum lege rei iudicata. 207. ff. de reg. juris.
16. Victo remanet quidem jus adversus victorem per viam gratie extraordinariam, non autem ipsius juris.
17. Nihil contra nos probatur, quod repertis perspicuis probationibus tollatur de novo Jus, quod antea per sententiam in iudicio iuramento decisorio finitis acquiritum fuerat.

Nota 1^{mo}, sententiam transiisse in rem iudicatam idem esse, ac illam accepisse auctoritatem, ac vires rei iudicatae, quae pro veritate accipitur, ac pro lege habetur; iuxta dispositionem *Legis res iudicata: ff. de reg. Jur.* quod tamen non statim fit, quando sententia prolata fuit, sed tunc primum, quando illa nec de facto per appellationem suspensa est, nec per appellationem, utpote quod decendum sit elapsum, amplius suspendi potest. Ex quo inferimus, in rem iudicatam transiisse sententiam, quando isti victus acquieverit vel expresse, quod fit, quando victus solutionis terminum, aut dilationem petiit arg. *Legis ad solutionem 5. Cod. de sententia & re iudicata.* Vel tacite, quando appellationem intra decendum non apposuit, ut habetur in *cap. quod ad consultationem: 15. de re iudicata.*

2^o Nota secundò. Exceptis paucis quibusdam casibus in foro externo sententias definitivas in causis pri-

vatorum, postquam in rem iudicatam transierunt, novorum instrumentorum postea primum inventorum pretextu neutiquam retractari. Ita habetur in *cap. inter 20. cap. suborta 21. in hac rubrica. Leg. Imperatores 35. ff. & Lege sub specie 4. Cod. de re iudicata.* Consequenter in foro externo tali sententiae acquiescendum esse. Fuerunt autem Jura ad hoc statuendum promota, ne lites, quas iuxta: *cap. sine 5. de dolo: & Lege quidam. 21. de rebus creditis;* oportet dimitti ob bonum publicum, denuo instaurata evadant immortales. *Leg. res iudicata. 2. Cod. de re iudicata.* Ita docent etiam *Panormit. in cap. suborta 2. num. 10. & 13. Molina tract. 3. de Jure & Just. disp. 58. num. 1. & 2. Haunold. tom. 5. de Jure & Just. tract. 5. num. 123.*

Nota 3. in hoc ipso foro externo ejusmodi sententiam, quae in rem iudicatam transit, ita firmam effici, ut per regulam 207. ff. de Res. accipiatur pro veritate, ita ut praesumptio

sumptio sit ista Juris, & de jure excludens probationem contrariam, quæ instrumentis de novo reperiatis nitatur. Quæ omnia fuerunt statuta tum ob finem antea insinuatam, tum propter auctoritatem rerum iudicatarum *Lege ad solutionem §. Cod. de sent. & re iudicata.* His præmissis.

4 Dico 1. Si Sempronius mala fide, seu sciens se non habere justam causam litigandi, nihilominus iudicium subit, & sententiam pro se tulit, eundem in conscientia nequam securum esse. Ita communis. Ratio est, quòd jus, & æquitas naturalis haud permittant, ut quis cum alterius damno, ac detrimento, aut injuria locupletetur: *vi Regule Jure nature 206. & Regula locupletari 48. in 6.* sed hoc accideret, si in foro conscientie valeret. Probatur secundo Judicis sententia fundatur in præsumptione justitiæ, & meritorum causæ ejus, pro quo est pronuntiatum: *cap. bonæ 23. v. contra: de Elec.* præsumptio autem cedit compertæ veritati. *Lege si Chirographum 24. & Lege cum de indebito: 25. ff. de probat:* cum ergo conscientia super omnia veritas sit, ideo ejusmodi injustè obtenta sententia in conscientia non valebit.

Confirmatur. Non est credibile, quòd Legislator sive Ecclesiasticus, sive secularis calumniosum litigatorem afficere velit præmio, cum hac ratione non finis, sed mirum fieret: litium, nec dominium, & jurium certitudo, sed mera confusio

nasceretur, quia homines mali facilis ad lites convolarent, illecti spe se fore victores in causa sua iniqua, & consequenter in conscientia retinere posse ejusmodi acquiritas res.

Dico 2. si Sempronius bona fide litem fuit contestatus, ac prosecutus, sententiam pro se tulit, & postquam sententia in rem iudicatam jam transit, primum reperit, tale instrumentum, eundem posse tutò in conscientia illam retinere. Ita sentiunt Joannes André *in cap. Novit. 13. de Judiciis. Hostiensis summâ tit. de sentent. §. quos sunt ad finem. Rosella V. restitutio 4. num. 9. in eam rem allegans S. Bernardinum. Fortunatus Garcias in Legem veluti 2. ff. de J. & J. num. 24. Laym. l. 1. tract. 4. cap. 17. num. 3. Wiestner. hic num. 99. P. Schmier process. c. 16. num. 127. Schmalzgrueber hic n. 71. & sequentibus.*

Probatur conclusio primò, *in cap. cum inter: hoc tit. vers. quamvis:* habetur, quòd Innocentius tertius statuerit, observandam esse sententiam, quæ contra Jus litigantis fuerat lata ex instrumentis invalidæ donationis, & hanc secuta infirmæ confirmationis. Ubi etiam hujus sui statuti rationem afferens ait, *quòd, quantum ad litigantes ipsos Jus ea sententia factum est, postquam in rem transit iudicatam.* Subsumo. Pontifex non posset dicere, jus in tali casu factum fuisse, si in conscientia daretur obligatio restituendi, cum jus dici nequeat, quo

aliquis sine alterius injuria uti non potest: ergo in conscientia se tali sententiæ conformare aliquis poterit. Confirmatur. SS. Canones nunquam scienter aliquam defendunt in peccato, juxta cap. Novit. 13. de Judiciis. § Can. de viduis 27. q. 1. sed ex fine suo animarum periculo obviant, & cavent, ne peccatorum vinculis irretiantur, & irretitæ detineantur. cap. 1. de Constit. in 6. CC. fin. de consuet. § prescript.

Probatur conclusio etiam ratione: quælibet res publica vel supremus Dominus tantum dominium in bona subditorum habet, ut exigente necessitate vel utilitate publica de illis bonis possit disponere, ac dominium ab uno transferre in alium ita ut iste illæsa sua conscientia retinere possit talia in se translata bona: sed boni publici utilitas ac necessitas minuendarum ac finiendarum litium exigit, ut in tali casu transferantur dominia: ergo in hoc casu potuit transferre dominium: & consequenter rei iudicatæ tantam vim tribuere, ut victorem in conscientia de re ipsa adjudicata securum reddat: sublimo: sed si potuit, tunc actu transtulit: ergo probatur antecedens subsumpti ex pluribus Juris textibus: *Lege enim: res iudicata: 2 17. ff. de reg. Juris. Habetur, ut res iudicata pro veritate habeatur. Ut res iudicata inter partes litigantes jus constituat, habetur cap. cum inter 23. hac rubrica. Item cap. fin. de exceptionibus in 6. Ulterius huic no-*

stræ sententiæ favent. cap. inter 20. c. suborta. 21. in fine hoc tit. lex. Si causa 32. C. de transactionibus Lex latam Cod. quando provoc. non est necessitas.

Confirmatur. Juxta tritas Juris consultorum phrales apud Marantham de ordine Judic. p. 6. de senten. n. 198. res iudicata dicitur esse tantæ autoritatis, ut de non ente ens, & de ente non ens: ex albo nigrum & album ex nigro, ex indebito debitum, ex isto indebitum facere, ipsiusque nature instar juribus dare originem, eaque perimere augere ac diminuire consueverit: ergo rei iudicatæ vigor etiam in foro conscientie subsistit: cum iuste possideat qui Authore Pretore, reique possidet authoritate: *Lege iuste 11. ff. de acquir. rerum dominio.*

Confirmatur 2. *Lege 1. §. fin. ff. ad senatus consultum Tertull. Bonellus in legem omnes 9. ff. de J. §. 1. n. 41.* Rei iudicatæ vis equiparetur prescriptioni: sed quæ per prescriptionem fuerunt acquisita non sunt retineri in conscientia, sed postea agnoscat, titulum fuisse invalidum ac nullum: ergo etiam acquisita vi sententiæ iudicatæ, si bona fide processum fuit. Sic enim jura tam canonica quam civilia asserunt ope prescriptionis transferri & acquiri dominia, ita etiam asserunt hæc fieri per sententiam rei iudicatæ: ergo si ob priorem rationem prescriptio etiam in conscientia valet, ita etiam valebit sententia rei iudicatæ.

6 Contra hæcenus probata opponunt contrariæ sententiæ primo: in cap. significationibus 2. de purgat: vulgari. Innocentius tertius præcipit ut illi, qui furti in Iudicio condemnatus fuit, postquam illius innocentia fuisset comperta etiam primum post transitum sententiæ in rem iudicatam, restituerentur omnia, quæ prætextu illius criminis eidem fuerunt ablata; ergo non possunt licitè tales res retineri in conscientia. Respondeo con. a. dist. conf. ergo taliter acquisita non possunt licitè retineri, quando sententia lata non fuit legitima & non conformis ordini juris, concedo, si fuerit sententia conformiter Juri & Legibus lata. Nego consequentiam.

Contra est: gratis dicitur, latam ibidem sententiam non fuisse conformiter Legibus latam: ergo nulla responsio. R. neg. ant. constat etenim ex verbis citati capiruli, quod illa sententia contra Juris ordinem lata fuerit ex sola purgatione vulgari per duellum: cum ergo taliter lata sententia sit ipso jure nulla, non potuit transire in rem iudicatam, consequenter non probatur, quòd sententia in rem iudicatam transiens non conferat dominium

7 Ob. 2. in Lege si fullo; 2. ff. de conditione sine causa. Deciditur, quòd fullo seu sartor debuerit vi sententiæ reddere domino pretium amissæ vestis; ubi autem post hanc solutionem recuperata vestis fuisset,

potuit memoratus fullo, vel sartor repetere pretium prius solutum conditione dati sine causa: ergo etiam postquam sententia iam transit in rem iudicatam, poterit tamen repeti, & consequenter debet restitui res accepta, si fundamentum sententiæ apparet esse nullum. R. 1. Cum fullo etiam in foro externo potuerit pretium perfolutum repetere, ex hac objectione sequeretur, quòd etiam in foro externo darentur repetitio & revocatio sententiæ latæ, quod est contra communiorem. R. 2. Concesso antecedente, nego consequentiam, & suppositum, quòd in casu citatæ legis sententia prius fuerit retractata, sed manens in suo valore redierat ad non causam: sententia enim volebat ut æstimatio rei amissæ solveretur duntaxat in defectum hujus: unde quando hæc reperta fuerat, & à Domino recuperata, æstimatio ista, seu pretium vestis apud domnum existeret sine causa, consequenter tanquam indebita à fullone, vel sartore poterit repeti, & à domino debebat restitui, ne cum ipsa veste ipsum pretium haberet, non absque damno solvens.

Ob. 3. Lege in commodato 17. ff. 8 commodati §. fin. Commodatarius si rei sibi commodatæ, ac perditæ pretium domino dederit, & postea res prius perditæ in potestatem domini redacta fuerit, poterit exigere, ut vel res perditæ sibi tradatur, vel pretium perfolutum restituatur:

Zzz 3 ergo

ergo &c. R. solutionem esse eandem, quæ ad priorem objectionem fuerat data.

9 Ob. 4. Sempronius noster habet adhuc naturalem obligationem, restituendi rem sibi taliter adjudicatam: ergo non potest illam in conscientia retinere. Probatur consequentia. Iudex non habet potestatem tollendi obligationem naturalem: ergo si manet adhuc obligatio naturalis, non potest illam rem retinere. Antecedens probatur etiam ex *Lege Julianus: Co. princ. ff. de condit. in debiti*. Hic enim dicitur. Si verus debitor à creditore in iudicio conventus absolvatur, naturam manere obligatum: atqui noster Sempronius ut verus debitor fuit absolutus: ergo adhuc manet obligatus naturaliter. R. nego: in probatione distinguo majorem in dicta Lege dicitur: quod verus debitor, si debiti sui conscius mala fide litigavit, maneat adhuc obligatus naturaliter: con. si bona fide litigavit. Nego Majorem &c. Ratio disparitatis est, quod jura (prout contingit in presumptione) bonam solummodo fidem habenti assistant, non autem habenti malam.

Urgent: etsi bona fide aliquis litigaverit, & à iudice fuerit absolutus, naturam tamen obligatus erit: ergo responsio non est sufficiens: probatur antecedens. Si naturam non amplius foret obligatus, tunc sententia iudicis posset tollere obligationem naturalem saltem in litigan-

te bona fide: sed hoc non potest facere: ergo &c. Probatur minor primò ex §. *sed naturalis 11. Instit. de J. N. G. & C.* probatur eadem minor secundò: sententia iudicis non potest transferre vel uni de novo donare dominium; sed tantum declarare penes quem sit jus & dominium: ergo non potest tollere obligationem naturalem. Probatur consequentia: hac ratione non declararet, sed conferret novum jus ergo: R. nego ant. si loquamur de nostro casu. In probatione dist. M. tunc sola sententia iudicis hoc potest facere: nego M. sententia iudicis, si huic accedat pro posteriore voluntas superioris Legislatoris con. M. & dist. m. sententia iudicis sola non potest hoc facere con. m. si illi pro posteriore accedat voluntas supremi Legislatoris & domini, negatur minor & consequentia. Suprema potestas ob bonum commune, uti probavimus, statuit, ut si sententia legitime inter partes bona fide litigantes fuerit lata, & rem iudicatam transferat, transferat dominium, & novum jus faciat: ergo non sequitur ex nostra sententia, quod sola sententia iudicis hoc faciat: in talibus itaque casibus obligatio naturalis antea per ignorantiam sopita, post transitum illum est omnino perempta, non tam pronuntiatione Iudicis, quam auctoritate juris, sicut translatione ac prescriptione, uti habetur ex *citato capitulo: cum in eiv. Lege cap. p. cit.*

10 Ob. 5. Si noster Sempronius foret absolutus in foro conscientia, ratio esset, quia est absolutus in foro externo: hæc ratio nulla est: ergo &c. probatur minor: qui alterum læsit ob contractum metu levi extortum; item qui alterum quidem læsit, non tamen infra dimidium, vel supra, est absolutus in foro externo, & tamen necdum est absolutus in foro interno; ergo etiam noster Sempronius non erit absolutus in foro interno, quia est absolutus in externo.

R. transeat M. nego m. in hujus probatione dist. ant. tales sunt absoluti in foro externo, in quantum actori non conceditur actio adversus talem reum: concedo. Sunt absoluti, ita ut reis addicatur dominium, & jus rei taliter iniquè obtentæ. Nego ant. & conf. vel dist. consequens: ergo etiam noster Sempronius non erit absolutus in foro interno, si in foro externo præcisè negaretur actio actori contra eum, con. conf. si non præcisè negetur actio, sed insuper ipsum verum jus & dominium talis rei adjudicetur. Nego conf. extorquens contractum levi metu, vel lædens dicto modo, nequaquam à iudice ita absolvitur, ut sententia pro eo lata transeat in rem iudicatam, eò quòd omnino nulla sententia pro eo feratur, sed actor non audiatur, ita tamen, ut actori adhuc relinquatur locus implorationis officii iudicis nobilis, & denuntiationi Evangelicæ adversus talem

reum. Accedit, quòd omnes isti mala fide laborent; non autem noster Sempronius.

Ob. 6. Qui ex pacto nudo obligatus est alteri, atque in iudicio à suo creditore propterea convenitur, in foro externo absolvitur, & tamen adhuc manet obligatus in conscientia: ergo absolutio in foro externo nihil facit. R. dist. ant. manet adhuc obligatus, quia est in mala fide semper: conc. ant. & est ac fuit in bona fide. Negatur ant. & conf.

Ob. 7. vi Regule: nature 206. § 12 regule locupletari 48. in 6. jus & æquitas naturalis non permittunt, ut quis cum alterius detrimento ac injuria locupletetur: sed hoc accideret in dato casu: ergo nostra sententia non procedit. R. 1. Retorquendo argumentum in præscriptione ac transactione. R. 2. Nego vel dist. mi. accideret, ut Sempronius locupletaretur cum detrimento, & damno injustè dato. Nego m. justè dato con. m. & ne conf. locupletatio quæ fit ex dispositione Legis, ac intuitu publicæ utilitatis à supremo Reipublicæ magistratu publicata non fit cum injuria alterius; cum republica habeat potestatem disponendi de bonis subditorum.

Ob. 8. Argumento cap. cum inter 13. in fine: hac rubrica: sententia iudicis fundatur in præsumptione iustitiæ, & meritorum causæ ejus, pro quo est pronuntiatum: ibi: que præsumitur ritè per omnia celebrata: atqui

atque præsumptio cedit competere veritati, præsertim in foro animæ, in quo super omnia veritas est, ut dicitur *Esaiæ l. 3. c. 3. v. 13.* ergo etiam sententia iudicis cedit competere veritati: atqui hæc docet, dominium non esse penes Sempronium: ergo &c. R. dist. M. sententia iudicis fundatur in præsumptione &c. Ita ut etiam auctoritas & firmitas sententiæ fundetur in hac præsumptione negatur. M. ita ut hujus firmitas atque auctoritas fundentur in ordinatione legali, & salute, atque felicitate reipublicæ con. M. & sic distincto con. nego consequentiam. Optimè enim advertit Gonzalez *in cap. cum inter cit. a. 6.* reipublicæ magis expedire, ut res iudicata firma, quam ut semper incertæ sint. Dein retorqueri argumentum in præscriptione 30. vel 40. annorum potest: hæc enim etiam fundat præsumptionem tituli & possessionis reipræscriptæ, quin talis præscriptionis firmitas atque auctoritas nitantur veritate talis præsumptionis, sed ordinatione legali, & salute seu felicitate reipublicæ.

14 Ob. 9. si Sempronius in hoc casu potest retinere pretium, tunc malitiosis hominibus præbetur ansa injustè litigandi. Probatur. Isti spe obrinendæ victoriæ & ex hac securi dominii in rem taliter à iudice obtentam, plurimas aliis innocentibus lites movebunt: ergo &c. R. nego sequelam: in hujus probatione iterum nego antecedens.

Nos enim solummodo asserimus, bona fide litigantem victorem acquirere dominium postquam sententia in rem iudicatam transit.

Ob. 10. *Argumento Legis ves iudicata 207. ff. de reg. Juris.* Contra præsumptionem faventem ei, pro quo lata sententia transit in rem iudicatam, admittitur confessio victoris, rem aliter se habere in iudicio asserentis, prout etiam descendunt *Panormitanus in cap. is qui fidem 30. de sponsal. & Matrim. n. 5.* Felinus *in cap. quanto:* ergo falsum est, quod sententia, quæ in rem iudicatam transit, generet tale jus, quod nos prætendimus: aliàs non esset admittenda confessio victoris. R. con. ant. dist. conf. ergo falsum est, quod sententia in rem iudicatam transiens generet tale jus, si ipse habens jus jam acquisitum, velit huic sponte renunciare: con. si ille non sponte renuntiet. Nego conf. talis ultra fatendo rem aliter se habere, censetur renunciare juri suo instar illius, qui hanc præsumptionem Juris & de jure, quam pro se habet, non allegat contra adversarium, cujus actionem prætensione talis præsumptionis posse elidere.

Ob. 11. Etiam post sententiam, quæ jam in rem iudicatam transit, remanet victo jus aliquod agendi contra victorem: ergo etiam in victore dabitur obligatio rem talem reddendi, quia jus & obligatio sunt duo correlativa. Ant. Probatur, potest victus à principe experere re-


stitutio-

stitutionem in integrum; ergo &c. R. dist. ant. remanet victo jus ad ipsius justitiam de rigore discutiendam, eamque corrigendam, & retractandam de novo. Nego ant. ius per gratiam extraordinariam à principe concedendam obtinendi rem in judicio amissam. con. ant. & nego. conf. eo ipso, quòd ex singulari quodam favore principis duntaxat in integrum restitui victus possit, inferitur, quòd victor habeat jus retinendi rem evictam, usque dum Princeps extraordinario quodam favore, & beneficio rem in judicio perditam restitui precipiat.

17 Ob. 12. Quando iudicium fuit finitum juramento decisorio, delato in defectum probationum alteri contententium; tunc eo ipso, quòd postea legitima ac perspicua probationes reperte fuerint in contrarium, tollitur jus ex sententia taliter lata juranti obveniens. Ergo

idem potest dici de casu presente. R. nego conf. ratio est, quòd legitima probationes postea reperte majorem vim habeant adversus illud juramentum falsum, ac iudicium eo terminatum, quàm adversus sententiam legitime alioquin latam, quæ in rem judicatam transit: ita habetur in *Lege admonendi in princ. ff. de jurejurando.*

Hæ sunt precipua pro utraque parte certantium Authorum rationes, ex quibus, si nostra sententia non appareat certa, est tamen illa certo etiam respectivè probabilis. Ex quo ulterius Sempronius pro se hoc argumentum formare potest, quancumque dubium habetur, tunc melior est conditio possidentis. Item quando partium jura sunt obscura: tunc reus est absolvendus, sed in hoc casu res ita se habet, & ego sum reus: ergo sum absolvendus, & res mihi relinquenda.



CASUS XL.

De Jure Legitimi ad Majoratum.

Navius illustris Prosapia, & multarum divitiarum Juvenis, postquam ex concubina filium procreasset, contrahit matrimonium cum Caja, ex qua duos alios filios genuit. Verum cum Caja postmodum mortua fuisset, priorem suam concubinam è nobili pariter stemmate oriundam in matrimonium ducit, atque hoc ipso filium suum nautalem legitimat.

Q. Utrum legitimatus in jure ad Majoratum, & primo genituræ priori legitimo, præferri debeat reliquis duobus filiis Navi ex primo legitimo matrimonio progenitis?

AAA a

SY.